Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 843
Quelle:
Copyright:

Honorii Augustodunensis sunt, leguntur que in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1153. sed Scriptor noster fortasse *Trithemium* secutus hanc clausulam miniatam subjecit: *Explicit Orosius super cantica finitque per manus Pauli de Slawikowicz Anno domini M°CCCC° XVIII° feria III in die anne qui pro tunc vices gerebat in Gyczin.* Verum cujus? sacrine Curionis? Finis praeterea Commentariorum ab impressis abludit. Nam post verba: *et separatio bonorum ac malorum*, adtexitur lacinia 9. *linear.* parum, ut videtur, pertinens, hoc initio: *Ascendens autem in altum captivam duxit captiuitatem* &c.

V. *fol.* 195. *Articulus tertius*, isque, ut in margine additur, *principalis* majoris cujusdam Operis *de Versionibus Bibliorum* absque Autoris nomine. Initium est hujusmodi: *Stabilita siquidem translacione Jeronimi tamquam uera, in duobus articulis prelibatis, superest ad tertium procedendum, istum videlicet, Vtrum sicut Jeronimo licuit ab hebreo et greco in latinum transferre sacrum canonem, ita liceat ipsum in alias lingwas minus principales et famosas transferre. Et quamuis iste articulus in temporibus patrum nostrorum nullatenus in dubium uertebatur, modo uero tam grandis dubitacio oritur super illo, quod duo ualentes doctores huius kathedre quasi in ista materia totum tempus lecture sue consumebant, quorum unus ad articuli partem negatiuam arguebat per aliquot argumenta, alter uero succedens ad articuli partem affirmatiuam arguebat nescio per quot argumentorum uigenarios. Neuter tamen apperuit scole quid uoluerit vltimate in materia articuli diffinire. In pertractando igitur hunc articulum sic procedam.* Primo *quidem recitabo quedam argumenta primi doctoris.* Secundo *adiciam plura de proprio ad partem articuli negatiuam. Et* 3tio *pro modulo meo soluam argumenta que fiunt ad oppositum articuli antedicti.* Atque haec quidem XXIV. *Capitibus* strenue exequitur. *Anglum* esse Autorem et quidem *Oxoniensis* Academiae Doctorem, omnia persuadent, praecipue, quod pro Bibliis *anglice* vertendis depugnet unice, tum, quod gentis illius autores complures, puta: *Bedam, Rog. Baconum, Rich. Hampolium, Rich. Armachanum, Ranulphum Higedenum Cestr.* in subfragium vocet. Tempus scriptionis inde eruitur, quod c. VIII. haec legas: *Bone memorie dominus Willelmus* (Johannem vocat *Tanneri Bibl.* p. 711.) *Thoresbi archiepiscopus eborac. quartus a presenti fecit fieri per quendam reuerendum uirum cognomento gaitrik quendam tractatum conscriptum in uulgari in quo continentur articuli fidei, in quo eciam de septem peccatis mortalibus pertractatur, de septem operibus misericordie, quem tractatum per paginas precepit laicis ad eorum instructionem* &c. Idem legas ex vet. Mspto apud *Tannerum* cit. *John Thoresby archbishop of York did do*

draw